



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Illvstrivm Miracvlorvm Et Historiarvm Memorabilivm Lib. XII

Caesarius <Heisterbacensis>

Antverpiae, 1605

De daemone, qui dixit se mallecum vna anima à se decepta in infernum descendere, quàm redire ad caelum cap. 9.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13177**

eam pœnarum portantes cruciauerunt. Similiter distinctione secunda cap. vj. Hildebrandus latro Bertolpho post mortem apparens, multa milia dæmonū dicebat animam suam foris præstolari. APOLLONIUS: Si hæc ita se habent, certum est plures esse dæmones quam homines malos. CÆSARIUS: Quantum ad præsens tempus, quæstionis huius solutionem scire non possumus; sed certum habemus, quòd in fine mundi, quando completus fuerit reproborum numerus, multo plures erunt mali homines, quam dæmones. APOLLONIUS: Vnde hoc probatur? CÆSARIUS: Decima pars angelorum cecidit, ex quibus dæmones facti sunt. Teste beato Gregorio: Tot ascensuri sunt ex electis hominum, quot ibi angeli remanserunt: secundum hoc, nouem partibus numerus hominum electorum, trāscendet numerum dæmoniorum. Quis ergo dubitat, quin incomparabiliter plures sint homines mali, quā boni? Nec in hoc mali homines aliquā recipient consolationem, quòd numero longè plures erunt dæmonibus; quia tanta est illorum naturalis potentia, tanta contracta malitia, tanta torquendi industria, vt vnus multis milibus hominum in pœnis adhibendis sufficere possit. Hæc de multitudine malignorum spirituum dicta sint. Quòd autem incomparabiliter mali sint & immisericordes, varijs tibi pandam exemplis.

## CAPVT IX.

**D**æmon quidam, cum hominem à se obsessum horribiliter torqueret, & diuersis, per os eius garriendo, diuersa responderet, dictum est ei à quodam ex circumstantibus: Dic diabole, si posses ad gratiam in qua fuisti redire, quid velles propter hoc laboris sustinere? respondit ille: Si hoc esset in meo arbitrio, mallet, cum vna anima decepta descendere in infernum, quam redire in cœlum. Mirantibus omnibus cur ita diceret, iterum hoc verbum respondit: Quid de hoc miramini? Tanta est malitia mea, vt non possim aliquid velle boni. Huic verbo alterius cuiusdam dæmonis sermo discordat.

*In fine mundi, plures fore malos homines, quàm dæmones. Gregor. hom. 34. in Euāg.*

*De malitia dæmonum.*